



centrum E mobili instructo. Esto enim asser quadratus seu quadrangularis ABCD. Ex puncto E medio inter A & B ducatur recta EG, perpendicularis ad AB, & CD. Ex E describatur Semicirculus, & Quadrans uterque dividatur in gradus 90, incipiendo à recta EG, numerique adscribantur, ut Figura monstrat. Centro E affigatur regula EF mobilis circa centrum. Hoc instrumento sic examinatur declinatio muri. Latus AB applicatur muro, ita ut planum instrumenti sit parallelum Horizonti; & ad latus regula EF alligatur pixis magnetica H. Regula cum pixide movetur tam diu huc & illuc, donec acus magnetica linea Meridiana fundo pixidis inscripta incumbat, atque quiescat. Quo facto, quot gradibus regula EF abest à linea Meridiana EG instrumenti, tanta est declinatio muri, id est, tot gradibus declinat murus à Verticali primario. Et quidem si instrumentum fuit applicatum muro ex parte Australi vergatque Regula EF in Ortum, declinat murus à Meridie in Occasum; si vergat regula in Occasum, declinat murus in Ortum. Si verò instrumentum fuit applicatum muro ex parte Septentrionali, vergatque regula EF in Ortum, erit declinatio à Septentrione in Occasum; si vergat in Occasum, erit declinatio à Septentrione in Ortum.

Monitio ad Lectorem.

Mitto methodum inscribendi arcus Zodiaci Horologio declinanti per Tangentes, quã prescribit P. Clavius in Libello de nova Horologiorũ descriptione Cap. 18. & ex ipso P. Kircher. in Art. Magna

Bbbb 2

Lucis